



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XV. De eadem re, & de aliis Gratiani erroribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DIALOGUS DECIMUSQUINTUS. 165

Ivone, & Polycarpo. Antea erat, populis. Simillima
verò huic capiti leguntur Novella 123. c. 34. apud Iu-
lianum Antecessorem. In margine hæc sunt: Poly. l. 5.
tit. 4. Burch. l. 1. c. 57. Ivo p. 5. c. 167. Pann. l.
4. c. 22.

(14) Ante caput tertium Nulli liceat ignorare. 12.
q. 2. in eodem libro inscriptio est: Item Bonifacius
Papa. Et in margine est: Al. Ex decretis Bonifacij II.
Papa. 6. Capitul. c. 303. Poly. l. 6. tit. 15. Burch. l. II.
c. 17. Ivo p. 14. c. 87. Pann. l. 5. c. 113. Fontis obliti
Romani sunt.

DE EADEM RE, ET DE ALIIS
Gratiani erroribus.

Dialogus decimusquintus.

C. Quid esse in causa dicemus cur tam
multæ inscriptiones falsæ inveniantur?
B. Quorundam hominum audacia, aliorum
simplicitas & tarditas causa est. Audacia eo-
rum qui finxerunt quædam ab aliquibus scri-
pta esse quæ nunquam scripserunt; simplici-
tas & tarditas eorum qui facilè crediderunt
ita esse ut in aliquo alio libro legerunt. de
quibus dici potest quod de pecoribus quæ se-
quuntur sui gregis alia oculis conniventibus.
Huc accedit librariorum imperitia & negli-
gentia; qui facilè, ut imperiti medici & phar-
macopolæ, aliud pro alio venditant. **A.** Est
etiam illud addendum, quòd paucos invenias
qui huic generi studiorum operam dederint.
B. Quid mirum, cum præmia nulla sint, ut
his qui litium causa discunt. Honos enim

alit artes, ut aiunt. A. Quasi verò Virtus non sit se ipsa contenta, & ipsa scientiæ atque veritatis indagatio aliud requirat præmium inane ac fucosas honorum imagines. Sed nos ad nostras fragmentorum reliquias redeamus. B. Non puto te his fragmentorum sportis saturaturum tot hominum millia quot Christus quinque panibus. A. Vos duo mihi eritis pro quinque millibus. Vafensis Concilij fragmentum, cujus initium *Præcipiendum est*, Nannetensis Concilij est cap. vi. ut apud Ivonem *a* rectè est, licèt in capitis numero varietas sit. At apud Burchardum *b* Hannerense appellatur, Varense apud Gratianum *c*. (1) Post Concilium Arelatense tertium multa sunt falsò inscripta capita. I. *Præterea placuit*, Arausici Concilij verba sunt capit. xxii. licèt Gratianus *d* Arelatensis quarti esse dicat. (2) II. *Sciendum est*, Concilij Troleiani est capit. iix. licèt Arelatensi adscribant Burchardus *e* & Ivo *f* & Gratianus *g*. III. *Providendum*, Arelatensis quarti est sub Carolo cap. vi. IV. *Vt Episcopi provideant*, Vormaciensis Concilij verba sunt capit. lix. V. *Vidue si priusquam*, est Concilij Toletani iii. cap. x ut rectè Demochares alicubi notat. Et Burchardus *h* & Ivo *i* Toletano Concilio adscribunt; Gratianus *k* eidem & Arelatensi. (3) Post Felicis tertij epistulas fragmentum *Acacius non fuit* Gelasij Papæ est in epistula ad Faustum. & Gelasio inscribit liber Tarraconensis *l*. sed Gratianus *m* & Gelasio & Felici. (4) Post Concilium Tarraconen-

a Ivo par. 3. c. 222. decret.
b Burch. lib. 3. c. 159.

c 13. q. 2. c. 15. Præcipiendum.

d Dist. 28. c. 7. Præterea.

e Burch. li. 8. cap. 51.

f Ivo lib. 3. tit. 17. cap. 19. par. norm. & par. 7. c. 69. decret.

g 27. q. 1. c. 37. Sciendum.

h Burch. lib. 8. c. 44.

i Ivo par. 7. c. 62. & par. 8. c. 18. & 19. decret.

k 27. q. 1. c. 38. Vidue & 32. q. 2. c. ult.

l Tarrac. li. 1. c.

m 24. q. 1. c. 1. & 3. Acacius.

se verba illa *Dictum est nobis &c.* Concilij Cabilonensis sub Carolo sunt cap. xxvii. licet Burchardus *n* & Ivo *o* & Gratianus *p* Tarraconensis esse scripserint. sine inscriptione referunt Capitularia Imperatorum *q*. (5) Ineptè post Anastasij Papæ minoris epistulas fragmentum *Sanè Thessalonicensis Episcopi*, quod est Anastasij Bibliothecarij in chronicis, refertur. Fuit autem is temporibus Hadriani secundi, longè posterior Anastasio Papa. Deus-dedit *r* & Gratianus *s* rectè ex chronicis Anastasij ea verba referunt. (6) Quod verò sequitur, *Qui potest obviare*, Eleutherio restituatur oportet epistula singulari, & Damaso epistula tertia. Anastasio & Damaso adscribunt Anselmus *t* & Gratianus *u*. (7) Post Concilium Ilerdense, fragmentum *Si quis in infirmitate* Concilij Triburienfis est cap. xxxiii. ut alio die diximus *x*; sed Burchardo *y*, Ivoni *z*, & Gratiano *a* Ilerdensis esse persuasum est. Post Concilium Arvernense, ex codice xvi. librorum fragmentum *Quicumque Episcopus alterius &c.* Toletano iv. cap. xxxiii. restituo. Neque Burchardus *b* & Ivo *c* & Anselmus *d* & Gratianus *e* Arvernensis esse referunt, sed Toletani alicujus Concilij. In eo tamen mendum est apud Gratianum & apud Ivonem in panormia, quòd cum negatione referunt illa verba: *quamvis secundum jus legis ejus non videatur esse diocesis*. Tolle enim *non* debet, ex Conciliis & Burchardo & ceteris. (8) Aliud fragmentum, *Vt nullus vivente*, Aurelianensis

L iiij

n *Burc. lib. 4. c. 50.*
o *Ivo lib. 1. tit. 3. c. 9. panorm. & par. 1. c. 244. decr.*
p *De consecr. d. 5. c. 8. Dictum.*
q *Capit. lib. 7. c. 55. in addit.*
r *Deusdedit. cap. 1. f. 16. q. 7. c. 15. Sanè.*

t *Anf. lib. 13. c. 19.*
u *23. q. 3. c. 8. Qui potest.*

x *Dial. 4.*

y *Burc. lib. 2. c. 15.*
z *Ivo lib. 3. tit. 5. c. 1. panorm. & par. 6. cap. 34. decr.*
a *Dist. 55. c. 10. Si quis.*
b *Burc. lib. 1. c. 67.*
c *Ivo lib. 2. tit. 6. ca. 4. panorm. & par. 3. c. 131. & par. 5. c. 175. decr.*
d *Anf. lib. 5. c. 28.*
e *16. q. 3. c. 4. Quicumque.*

quinti est cap. XII. non Arvernensis Concilij, ut falsò putant Burchardus *f*, Ivo *g*, & Gratianus *h*. (9) Hic sit fragmentorum finis. Sed quia B. noster de audacia quorundam locutus est, qui finxerunt quædam ab aliquibus esse conscripta quæ nunquam ab eisdem scripta sint, exemplum sumamus à sexta synodo; quæ cum canones nullos ediderit, à Græcis dicatur CII. edidisse, ut superioribus diebus vidimus, à Latinis in tribus editionibus Coloniensibus novem canones scripsisse referatur, ut in vetusto codice monasterij sancti Bavonis urbis Andegavensis sive Gandavensis Flandriæ repertum est; ubi postquam de sexta synodo dictum est, adduntur hæc verba: *qui condemnata hæresis præfata, scripserunt novem capitula inferius annexa.* Caput primum, *Si quis Presbyter inventus fuerit &c.* Post quintum caput additur: *De instructione bonorum operum.* Caput sextum: *Ex Ganden. rubeo libro secundo numero cxxxv. (dicitur esse ex Concilio Vormacien.)* Cum ergo omnium &c. B. Cur tu igitur huic rubeo libro non credis, & Vormacienses hos canones appellas, aut illi vetusto Bavonensi & sextæ synodo restituis? A. Quia inveni certiora veritatis vestigia. B. Quænam autem ea sunt? A. Hæc ipsa novem capita reperi Theodulfi esse Episcopi Aurelianensis, qui Ludovici Pij Imperatoris temporibus vixit & patris ejus Caroli Magni. Reliquit is aliquot capita, quæ ad Presbyteros Aurelianenses inscribuntur, de quibus dictum est

*f Burch. lib. 1.
c. 186.
g Ivo par. 5. c.
302. decret.
h 7. q. 1. in
prim.*

cùm de Eutychnianis fragmentis ageremus. Capitis xvi. initium est: *Si quis Presbyter &c.* Capitis xxi. *Cùm ergo omnium &c.* Sic omnia sunt totidem verbis conscripta. C. Non potuit Theodulfus ea sumere ex sexta synodo? A. Minimè potuit, cùm sexta synodus nullos ediderit. C. At ex Vormaciensi synodo? A. Quære priùs canones hos in Vormaciensi synodo, & nusquam invenies. Quòd si Vormaciensis synodi sunt, cur ille fallax scripsit sextæ synodi patres scripsisse hæc novem capitula? B. Conjungi his possunt illa Hadriani nomine capita ad Ingelramnum, quæ cùm Hadriani nihil habeant, ejus nomine feruntur. A. Rectè admones. De his satis est in Notis scriptum. C. Estne aliquid quod ad falsas inscriptiones Gratiani illinc elici possit? A. Permulta sunt quæ te malo illic legere. Sed habétne alia B. noster quæ contra Gratianum obiciat? B. Incidi nuper in quasdam Romanæ scholæ Notas, de quibus, si pateris, alio die proferam aliqua, conferrique poterunt cum his quæ Antoninus Florentinus reprehendi solere scribit. Hodie de quibusdam dicam quæ quamvis ita sint in veteribus libris ut Gratianus refert, tamen aut malè interpretatur, aut non debuerunt ab eo edi, ut pote quæ magis noceant quàm profint. Quid enim nobis illa profunt ex Toletano Concilio? *i Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur?* A. Hæc ante Gratianum k retulerant Rabanus l & Ivo m B. So-

i Tolet. 1. c. 17
k Dist. 34. c. 4.
Is qui.
l Raba. c. 10.
pœnit.
m Fvolibr. 6
tit. 3. ca. 6. pænorm. & part
8. c. 64. decr.

cios criminis laudas. Vide quid editum sit in Panormia Ivonis, quod etiam in aliquibus Gratiani libris legi: *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam habere debet.* C. O impudentem interpretem! B. Nec placet quod suffectum est, *habere licet*, aut quod in Ivonis excerptionibus posuerunt: *Vi habens concubinam, si alia non utatur, communione non privetur.* Non ignoro duplex esse concubinarum genus, duplex etiam uxorum, uxores quæ sine dotalibus instrumentis acciperentur, eas concubinas dictas fuisse. De his possumus Toletani Concilij verba interpretari. (10) Quid illa quæ videntur ex Nicolaitarum hæresi manasse? *Græcorum sapientissimus ait, communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges.* Hæc Gratianus n ex Clementis epistula quinta. A. In Anselmi veteri libro o hæc de conjugibus non sunt. Omittuntur etiam in melioribus Clementis libris; sed sumuntur, ni fallor, ex Recognitionibus Clementis. B. Tollentur hæc, aut notabuntur in Romana editione. (11) Jam illa quæ de Primiflaminibus & Archiflaminibus & aliis in Notis ad Hadrianum p obscura tibi esse dixisti, tollenda esse censeo; sint licet in epistulis Clementis prima, Anacleti secunda, Stephani secunda, & Leonis IX. epist. 111. & apud Gregorium VII. q & Burchardum & Ivonem s & Anselmum t & Gratianum u & in libro Cæsaraugustano x. C. Non te hic tantus veterum patrum consensus deterret?

n 12. q. 1. c. 2.

o *Ans. lib. 7. cap. 1.*
p *Hadr. c. 25.*

q *Lib. 6. epist. 35. regist.*

r *Burc. lib. 1. c. 155.*

s *Froli. 4. tit. 3. c. 1. panorm.*

t *par. 5. ca. 53. decr.*

u *Ans. lib. 6. ca. 105. & 106. & 109.*

v *Dist. 80. c. 1. & 2. & dist. 99. c. 1. & dist. 21. in prin.*

x *Cæs. lib. 2. cap. 73.*

B. Non audeo ego hæc falsa esse dicere, ut in Antonij Contij libris de epistulis ante Silvestrum scriptum legis. Sed hoc defendo, quamvis ea vera essent, scribi non debuisse; cum illis omiſſis, quæ crucem lectoribus afferunt, ut Maro dicebat, jus pontificium meliùs traderetur. (12) His non dissimilia sunt quæ de purgatione vulgari referuntur: *Qui Presbyterum occiderit, si servus est, super duodecim vomeres ferventes se expurget.* Hæc verba sunt Concilij Maguntini sub Rabano cap. xxiv. Referunt Burchardus y & Ivo z & Palea a & Pœnitentiale Romanum b & Bernardus Papiensis c. Sed Raimundus in Gregoriana collectione d rectè ea verba omisit. (13) *Ex Concilio Triburiensi c. xxii. Ferventi aqua vel candenti ferro se expurgat nobilis homo vel ingenuus, si deprehensus fuerit in furto aut perjurio aut falso testimonio, ut si ingenuus non esset.* Referunt Burchardus e & Palea f & Bernardus Papiensis g. Omisit Raimundus in Gregoriana collectione h. (14) C. Tu non Gratianum sed Paleam errasse ostendisti in hoc genere purgationis. B. Hæc Gratiani sunt: *Si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi ut alter illorum utrosque judicio divino purget, si unus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur.* Sunt hæc verba Concilij Salegustadiensis c. xiv. quod post Burchardi collectionem invenies; & hoc caput referunt Ivo i & Gratianus k. Illa sunt Concilij Vormaciensis cap. xv. *Sape contingit ut in monasteriis*

y Burch. lib. 6.
c. 7.
z Fvo par. 10
c. 136. decret.
a 17. q. 4. c. 24
Qui presbyterum.
b Pœnit. Rom.
tit. 1. c. 1.
c De purg.
vulg. c. 2. in
1. collect.
d c. 2. de pœ
nit. Gregor.
1X.
e Burch. li. 16
c. 19.
f 2. q. 5. ca. 15.
Nobilis.
g c. 1. de purg.
vulg. in 1. col
lect.
h c. 1. de purg.
can. Greg. 1X

i Fvo par. 15.
c. 178. decret.
k 2. q. 5. c. 25.
Statuit.

monachorum furta perpetrentur. Missa ab Abbate celebretur, aut ab alio Presbytero, & omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem. Hæc in Conciliis sunt, ut cuncta prius dicta, & apud Burchardum *l* & Gratianum *m*. (15) Sed hæc omnia sunt illorum temporum sordibus adscribenda. Sunt alia his similia, de quibus alio fortasse die dicendum erit. Hoc nolo differre quod Gratianus *n* refert ex Hieronymo in epist. ad Titum cap. 1. *Olim idem erat Presbyter qui & Episcopus.* & quæ sequuntur, quæ etiam habet Anselmus *o*. Totus ille Hieronymi locus, nisi pleniùs scribatur, & cum aliis Hieronymi scriptis conferatur, nocere magis quàm prodesse potest. (16) Democharis ad extremum verba referam in antidoto Gratiani Indicis: *Pleraque sunt, fateor, in his decretis jam obsoleta, & quæ à presenti consuetudine ecclesiastica abhorrent, nonnunquam etiam, ut videtur, inter se ex diametro pugnancia &c.* A. Næ tu B. magnum Democharis testimonium contra Gratiani lucubrations attulisti. Cui responderi potest, ut aliquibus aliis quæ recitasti, Gratiani scopum fuisse, omne genus decretorum referre, & hac de causa Concordiam discordantium canonum appellasse. De aliis quæ B. Antoninus & Romanæ scholæ notarunt te libenter audituri sumus.



1 *Burc. lib. 11.*
c. 66.
m c. 23. Sæpe.
e. qu. 5.

n *Dist. 95. c. 5*
Olim.

o *Anf. lib. 7.*
c. 119. & 120.

ADDITIONES.

(1) **C**APUT 15. *Præcipiendum est.* 13. q. 2. in Gregoriana editione ita inscribitur: *Item ex Concilio Varenfi.* In margine est: *Burc. l. 3. c. 159. Ivo p. 3. c. 222.* In Notis: *Extat in Concilio Nannetensi c. 6. ex quo citatur à Burchardo & Ivone. Sed quia potuit esse repetitum in aliquo Varenfi seu Varsensi, non est mutatum. In epitome quidem Conciliorum est in Varsensi c. 3.*

(2) Inscriptio cap. 7. *Præterea placuit. distinct.* 28. hæc in eodem libro est: *Item ex eodem tertio.* (Est autem capituli 6. inscriptio: *Item ex Concilio Arelat. 2. c. 2.*) In Notis hæc sunt: *In Arelatensibus quæ extant hic ipse penitus canon non invenitur. Sed sententia habetur in tertio c. 2. in fine.* Desideratur fontis index.

(3) In eodem lib. cap. 38. cau. 27. q. 1. inscriptio est. [*Item*] *Palea. Vidua, si priusquam &c.* (Capituli 37. inscriptio est: *Item ex Concilio Arelatensi.*) In margine hæc sunt: *infra 32. q. 2. Hoc sanctum. ex Concil. Toletano 3. c. 10. Ivo p. 8. c. 18. & 19.* Inscriptio capituli ult. 32. q. 2. hæc est: *E contra in Concilio Toletano 3. c. 10. Hoc sanctum.* In margine est: *Burch. l. 8. c. 44. Ivo par. 7. c. 62. & par. 8. c. 18. & 19.*

(4) Gratiani verba sunt in libro Romano ante caput 1. cau. 24. q. 1. *Vade cum Achatius &c. quæretur, contra Gelasius scribit dicens: Achatius non est factus &c.* In Notis hæc sunt: *Sententia huius capituli est eadem cum sententia capituli paulo post sequentis, id est, Achatius, quamvis verba discrepent.* Inscriptio capituli 3. est: *Item Felix Papa: Achatius non fuit novi &c.* In margine est: *Polyc. lib. 1. tit. 16.* Et in Notis: *Polycarpus li. 1. ti. 16. citat ex Gelasio, apud quem habetur in commonitorio ad Faustum.*

(5) De consecrat. distin. 5. cap. 8. *Dictum est.* in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Tarraconensi c. 6.* In Notis additur: *Burchardus etiam & Ivo citant ut Gratianus. Habetur autem in Cabilonen.*

2. cap. 27. usque ad vers. Quia bis. & in Capitularibus adjectis c. 53. In margine hæc sunt: Burch. l. 4. c. 50. Ivo par. 1. c. 244. Pann. l. 1. c. 121.

(6) Capituli 15. Sane Theffalonicensi. 16. q. 7. inscriptio in eodem libro est: Item ex Chronico Anastasij Bibliothecarij. In Notis est: Caput hoc acceptum est ex Chronico Anastasij Bibliothecarij in iis qua de Anastasio Imperatore narrat. multaque ex ipso originali sunt emendata.

(7) Inscriptio capituli octavi Qui potest. 23. q. 3. in eodem libro Romano hæc est: Item Anastasius & Damasus Papa. In margine hæc sunt: Damasus epist. 3. ad Stephan. c. 8. supra dist. 83. Error. & dist. 86. Facientis. Pol. c. l. 7. tit. II. Ans. l. 13. c. 19.] Inscriptio capituli 3. Error. dist. 83. est: Item Innocentius. In margine est: Deus-dedit p. 2. Eleuterius Papa ad Gallia provincias, & Orientales in epist. ad Iulium, & Ægyptij in epistola ad Felicem secundum. Inscriptio capituli 3. dist. 66. est: Item Ioannes VIII. Facientis culpam &c. In margine hæc sunt: Greg. l. 7. reg. epist. 114. Indict. 2. Pelagius 2. epistol. 3. Eleuterius sup. dist. 83. c. Error. 2. qu. 7. Negligere. & 23. qu. 3. c. Qui potest. Ivo p. 6. cap. 115. In Notis additur: Caput hoc ex variis sententiis hinc inde collectis confectum est: quarum prima usque ad vers. emendare sumpta est ex epistola beati Gregorij 114. lib. 7. Indict. 2. Theodorici & Theoberto Regibus Francorum.

(8) Ante caput quartum Quicumque Episcopus. 16. q. 3. in eodem libro hæc verba sunt: Item ex eodem c. 33. quæ ad Tolet. 4. referuntur. In margine hæc sunt: Poly. l. 3. tit. 12. Ans. l. 5. c. 28. Burch. l. 1. c. 67. Ivo p. 3. c. 131. & p. 5. c. 175. Pann. l. 2. c. 67. Ad illa verba, quamvis secundum jus legis, ejus non videtur esse diocesis &c. additur in Notis: In Concilio impresso cum manuscriptis collato legitur: quia secundum jus legis, ejus videtur esse diocesis, admittenda non est &c. Ivo autem in tertia parte etiam clarius post vers. (Scribe ver. vel verbum) possederit, sic habet eam teneat: quia secundum jus legis, ejus videtur esse diocesis, & admittenda non est &c. Burchardus autem, quamvis secundum jus legis, ejus videtur esse

diœcesis. In Pannormia verò quemadmodum apud Gratianum. Provinciam] Auctor glossæ interpretatur, id est, diœcesim. & in variis Conciliorum editionibus & duobus codicibus Vaticanis legitur parochiam. quâ voce sæpe diœcesis significatur, ut in canone Apostolorum 14. Episcopo non liceat alienam parochiam propria relicta pervadere. & in Concilio Antiocheno cap. 21. vocem παροικίας alij verterunt parochiam, alij diœcesim. omninoque in Toletanis hæc voces confunduntur, ut in Tolet. 3. c. 20. & Tolet. 4. c. 32. & 35. Brachar. 2. c. 2. Et in hujus capituli initio vox diœcesis partem quandam, id est, parochiam significat. Verùm in codice Conciliorum Lucensi regio & vetustis exemplaribus Gratiani & Pannormia & apud Ivonem par. 5. in margine est provinciam.

(9) Gratianus 7. q. 1. in prin. in eodem libro ita scribit: Quod autem vivente Episcopo alius superponi aut superordinari non possit, ex Concilio apud Arverniam celebrato definitum est, in quo legitur, Vt nullus vivente &c. In margine hæc sunt: In Concil. Aurelianen. 5. c. 12. Burch. l. 1. c. 186. Ivo p. 5. c. 302. Et in Notis: Arverniam] Burchardus etiam & Ivo citant ex Arvernensi c. 13. Extat autem in Aurelianensi quinto c. 12.

(10) Capituli quarti Is qui non habet. distin. 34. inscriptio in Romano libro est: De hoc dicitur in Concilio Toletano 1. c. 17. Sequitur mox miniatis litteris: Qui non habet uxorem, sed loco illius concubinam, à communione non repellitur. In margine hæc sunt: Ivo par. 8. c. 64. Pannor. lib. 6. cap. 49. Et in Notis: Integer Concilij canon, qui apud Ivonem quoque & in Pannormia refertur, est hic: Si quis habens uxorem &c. Neque verò omne concubinarum genus eo etiam tempore permittebatur. De quibus quid in legibus gentium Imperatorum legatur nihil opus est referre. Certè Iustinianus Novella 18. c. 5. (ut est apud Iulianum Antecessorem) quasdam concubinas comparat quodam modo uxoribus quæ sine dotalium tabularum solennitate ductæ fuerant. Ad quod concubinarum genus referendum est quod scripsit beatus Augustinus in libro de bono conjugali, (& refertur infra 32. q. 2. c. 50-

let.) in quibus hæc tria erant necessaria &c. quamvis sic habitam non audeat appellare uxorem, quia non intervenerunt instrumenta dotalia & alia quæ jure civili & canonico requirebantur ut esset legitima uxor, quod habetur in prædicta Novella 18. & infra 30. q. 5. c. Aliter. Itaque hujusmodi mulieres, cum non essent uxores, vocabantur concubinae; sed ob illa tria, ac præcipue quòd in affectu maritali permanere statuerent, permittebatur ipsis communicare; habebanturque tanquam uxores minus solemniter ductæ. Et hoc est quòd hic & in sequenti capite dicitur, pro uxore loco uxoris habere concubinam. Idque Gratianus ipse ad finem cap. præced. parag. Concubina. indicavit. Nam concubinarum ad tempus adhibitaram, etiam si filiorum procreandorum causa haberentur, plane illicitus erat concubinatus. quod asserit idem beatus Augustinus cap. Audite. infra eadem, & in eodem libro de bono conjug. c. Concubinæ. infra 32. q. 2.

(11) Inscriptio capitis secundi Dilectissimis. 12. q. 1. in eodem libro hæc est: Item Clemens in epistola quinta. Et in margine est: Ans. ibid. (hoc est, l. 7. c. 1.) Verf. Denique ita scribitur: Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse ait communia debere esse amicorum omnia. [In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges.] Et in Notis: Verba hæc ab originali, in recentioribus Conciliorum editionibus impresso, & duobus ipsius manuscriptis codicibus, uno Vaticano, altero bibliotheca sancti Marci Florentia, & ab Anselmo. Hanc verò sententiam à Platone acceptam hæretici quidam volebant in Christianam religionem invehere. Ita enim scribit Epiphanius hæres. 32. Primum quidem, quòd ipse Epiphanius cum patre suo & sectæ antistite Carpocrate &c. Verum apud veteres etiam Christianos hanc uxorum communionem vehementer damnari solitam Tertullianus in apologetico evidenter testatur his verbis: Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores &c.

(12) His verbis utitur Gratianus in eodem libro initio distin. 80. Loca verò in quibus Primates &c. sunt ordinandi, hæc sunt secundum Lucium Papam & Clementem atque Anacletum. Ait enim Lucius Papa

Papa: Vrbes & loca &c. In margine est: Extat apud Stephanum 1. epist. 2. c. 5. Ans. l. 6. c. 128. Et in scholiis: Loca] Hic intitulatur 80. distm. &c. Et quidem primates ibi constituuntur ubi olim ponebantur protoflamines gentilium, Archiepiscopi ubi archiflamines, Episcopi ubi eorum flamines &c. Capituli secundi inscriptio est: Item Clemens Papa ad Iacobum epist. 1. In illis vero civitatibus in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant &c. In margine est: Leo IX. epist. 3. Polyc. l. 2. tit. 22. Burch. l. 1. c. 155. Ans. l. 6. c. 113. Primi flamines] Al. Archiflamines. Distin. 99. cap. 1. inscriptio est: Vnde Anacletus Papa ait ad Episcopos Italia epist. 2. Provincia multo ante Christi adventum tempore divisa sunt &c. Et in margine est: Ivo par. 5. c. 53. Pann. l. 4. c. 23. Et in Notis: Hoc caput integrum repetitur à Gregorio VII. lib. 6. reg. epist. 35. Rothomag. Turonen. ac Senonen. Archiepiscopis scripta, ex qua & originali nonnulla sunt restituta Gratiani verba sunt distin. 21. in prin. vers. Horum discretio: Horum, inquit, discretio à gentilibus maximè introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.

(13) Capituli 24. Qui Presbyterum. 17. q. 4. in eodem libro inscriptio est: [Item ex Concilio Moguntino sub Rabano c. 24.] Palea. In margine est: ext. de pœnit. & remis. c. 2. Burch. l. 6. c. 7. Ivo p. 10. c. 136. In Notis est: Hæc Palea in uno tantum Vaticano Gratiani codice habetur. Inscripção capituli 2. de pœnit. & rem. est: Ex Concilio Moguntinen. Et in margine est: Habetur in synodo Maguntina sub Rabano Archiepiscopo c. 24. Refert Burch. l. 6. c. 7. Ivo par. 10. cap. 136. & Gratianus sive Palea 17. q. 4. c. Qui presbyterum.

(14) Ante caput 15. Nobilis homo. secunda quæst. 5. in eodem libro hæc verba sunt. [Item in Concilio Triburiensi.] Palea. In margine est: ext. de pur. can. c. 1. Burch. l. 16. c. 19. Et in Notis: Burchardus etiam citat ex Concilio Triburiensi. cap. 10. & in Triburiensi illo, quod extat impressum, habentur nonnulla ad hanc rem facientia, Inscripção capituli 1. de purg. cano. est:

Ex Concilio Triburien. In margine hæc sunt: *Referunt Burch. l. 16. decr. c. 19. & Grat. (sive Palea 2. q. 4. (scribe 5.) c. 15. & habetur c. 1. tit. de purg. vulg. in 1. compil.*

(15) In eodem libro Romano inscriptio cap. 25. *Statuit quoq. 2. q. 5. hæc est: Item in eod. c. 14. hoc est, in Salegunstadiensis Concilio. In margine est: Burch. ibid. (id est, in fine operis) Ivo p. 15. c. 180. Inscriptio capitis 23. c. q. est: Contra in Concilio Vormaciensi c. 15. Sæpe contingit &c. Et in margine: Burch. l. 11. c. 66. In Notis: Sic expleta Missa] in hoc capite addita sunt nonnulla verba ex Concilio, quæ à collectoribus videbantur omissa. Sed hoc loco satis visum est varietatem indicare. Nam in Concilio ipso sic legitur: Et sic in ultima Missæ celebratione, pro expurgatione sua corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.]*

(16) Gratiani verba sunt ante caput quintum distin. 95. in Gregorianis libris: *Item Hieronymus ad caput primum epistolæ ad Titum, ad ea verba: & constituas. Olim idem erat Presbyter qui & Episcopus. In margine est: Idem ergo est Presbyter. Et: Ans. l. 7. cap. 127. Poly. l. 2. tit. 39. Rubrica scriptum est: Presbyter idem est qui Episcopus, ac sola consuetudine presunt Episcopi. Hæc miror non fuisse notata.*

DE BEATI ANTONINI CENSURA
in Gratianum, & de Romanorum
selektorum sententia.

Dialogus decimus sextus.

A. Quid est quod dicebas beatum Antoninum in Gratiano reprehendere? **H**abesne ejus librum? **B**. Et librum habeo & schedam locorum quæ selecti quidam viri